

*P. L. 42, 817—1098. Singulos libros praecedunt capitula. Folio 1'.  
conspicitur imago s. Doctoris tres adversarios confundentis his versibus  
illustrata:*

Malleus erroris, divini rore saporis  
Augustinus hic ebrius indeque sobrius huius.  
Hi metuunt vultum, quia scit confundere multum,  
Reges perfidiae convincens ore sophyae.

---

## CODEX 15. olim signatus 1/10.

*Foliorum 200, 382 : 278 mm., binis columnis exaratus saeculo XII. sub  
b. Frowino abate, testibus his versiculis fol. 1 :*

Frowino lumen coeli ferat hocce volumen,  
Nam perscripsit idem, praecipiendo quidem.

*Codex bene rubricatus quatuor litteris initialibus „Frowinianis“ ornatus est.*

Expositio beati Augustini episcopi super Johannem evangelistam i. e. in *Ioannis evangelium tractatus CXXIV.*

*P. L. 35, 1379—1976. Praemittuntur capitula et praefatio b. Augustini:  
Omnis divina scriptura bipartita est — ecce qui tollit peccata mundi. Pars  
prior huius praefationis desumpta est ex cap. 1. *De genesi ad litteram sc.  
usque ad verba:* fecit deus coelum et terram (P. L. 34, 245—247); pars  
posterior: De illa vero coelesti generatione — tollit peccata mundi.*

---

## CODEX 16. olim signatus 1/14.

*Foliorum 221, 325 : 228 mm., lineis plenis exaratus saeculo XII. sub b. Frowino abate, quod liquet ex versibus fol. 1 :*

Hunc Augustini librum studiosa Frowini  
Sancta Maria tibi fecit devotio scribi.

*Tituli sermonum sunt rubricati et litterae initiales praeter duas maiores  
Frowinianas minio ductae. Ultimum folium salvo textu est mutilum.*

Sermones ad populum diversi sancti Augustini episcopi, quos  
de evangelicis et apostolicis dictis difficilioribus lucidius et  
apertius explanando declaravit.